



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae a Villanova, Cognomento Eleemosynarij**

**Romae, 1658**

Franciscus Gonzaga Episcopus Nolanus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9857**

Franciscus Gonzaga Episcopus Nolanus.

**C**haritas, Beatissime Pater; qua admirabiliter accensus erat Beatus Thomas de Villanoua Archiepiscopus Valentinus, itaut Cereus amoris vocari potuerit, tanta erga Deum, & homines enituit; vt Deum ipsum, ipsius amantem ipsemet dignosceret, dum sacris peragendis à terra eleuatus cum Deo gaudens per spatium duodecim horarum adhuc in humanis viuens permaneret: homines verò, scilicet proximum ita dilexerit, vt horrea Parentis paruipenderet pro inopibus subleuandis, & egonis obolum vnum denegare sacrilegium existimaret. Quapropter affirmo Sanctitati Vestrae, eundem Beatum Thomam inter sanctos numerari debere, qui, etiam dum esset in hoc saeculo, Dei meminit conuersationem, & à populo, quem magnoperè dilexit, publicè acclamari. Et huic voto peramanter subscribo.

Ioannes Baptista Scannarolus Episcopus

Sidonienfis.

**R**espiciens sum exquirit Sanctitas Vestra, super Canonizatione Beati Thomae de Villanoua, Valentia Archiepiscopi: Ego, qua decet reuerentia, vtat responso diuino Domini Nostri Iesu Christi. Infirmi sanantur, leprosi mundantur, paralytici surgunt, claudi ambulant, mortui resurgunt, pauperes mirabiliter saturantur, & non est, qui sit scandalizatus in eo. Si honor iudicium diligit, ex sententia Regij Prophetae, & in Beatum Thomam, tot sapientissimorum Patrum purpuratorum, & Praesulum concurrunt suffragia, quis non dicat, eum hoc honore dignissimum? Quid ni? Adhuc viuens in terris dupliciter Beatus extitit, quia, scilicet intellexit super egenum, & pauperem, & quia fuit pauper spiritu, dicente Domino: Beati pauperes spiritui, quoniam ipsorum est Regnum caelorum. Cur nunc gloriosus regnans in caelo, non erit inter Sanctos connumerandus in terris? Illum sine dubio reddunt admirabilem, amor in pauperes, odium sui, & eximiarum virtutum cumulus, miraculorum gloria. Cedet

N

sanè